



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VIII. Ex Concilio a Lateran.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



Parifensis, & Rhemenfis, afferentes Chriftum fecundum quod homo, *efle nihil, id efl, nihil efle hominis, live humanitatis* in Chriſto. Immo ipſe Petrus Lombardus ejuſdem erroris inſimulatus fuit, ut notat Coriolan. *in ſumma Concilior. in Lateran. 3. celebrato anno 1179.* ubi ait ab Alexandro III. præceptum fuiſſe Willelmo Senonenſi Archiepiſcopo, ut adſcitis ſuffraganeis ſuis una cum illis doctrinam hanc abrogaret, in hæc verba: *Cum in noſtra olim præſentia eſſes conſtitutus, tibi vivâ voce injunximus, ut ſuffraganeis tuis Parifis tibi adſcitis ad abrogationem prava doctrine Petri quondam Parifienſis Epifcopi, quâ dicitur, quod Chriſtus fecundum quod eſt homo, non eſt aliquid, omnimò intendere, & efficaciem operam adhibere. Inde ſiquidem eſt, quod fraternitati tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quod tibi cum præſens eſſes præcepimus, ſuffraganeos tuos Parifis convocare, & unâ cum illis & aliis viris religioſis & prudentibus præſcriptam doctrinam ſtudeas penitus abrogare, & à Magiſtris ſcolariſtis ibidem in Theologia ſtudentibus Chriſtum ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore conſiſtente præcipias edocere: univerſis firmiter, & diſtinctè injungens, quod doctrinam illam de cætero nequam docere præſumant, ſed ipſam penitus deteſtentur.* Agunt contra hunc errorem PP. antiqui, præſertim in Concilio Chalcedon. ubi ad illud conſultandû congregati ſunt 630. Epifcopi, quibus præſuit acerrimus propugnator ſanctus Leo

*in epiſt. ad Flavianum: acceſſeruntque Boëtius, & Gelatius in operibus de duabus naturis. Vigilius lib. 5. contra Eutyb. Theorianus lib. legat. ad Armenos, Damascenus, ac Ruſticus in operibus contra Acephalos, Abucara opuſc. 2. & 4. ac etiam Leontius Byzantinus variis opuſculis, quæ extant tom. 6. Bibliothec. Colon. Theodoretus tribus dialogis, & in ſpeciali opere apud Phocium, cod. 46. videantur apud eundem Theodoretum in dialogo Inconfuſus Athanaſius, juſtinus, Epiphanius & plures, quos citat. Item Fulgentius lib. 1. ad Traſimundum, Barboſa in præſenti. Impugnant etiam prædicum errorem Theologi DD. antiqui cum Magiſtro diſt. 5. & ſequent. Item recentiores cum S. Thoma 3. p. q. 2. art. 1. ubi ſpecialim videndi ſunt Suarez diſput. 7. ſect. 2. Vaquez diſp. 14. cap. 1. Franc. Amicus diſp. 9. ſect. 1. Rodericus Ariaga diſp. 19. ſect. 1. Cardin. de Lugo diſp. 9. ſect. 1. Bernal. diſput. 14. ſect. 1. §. 3. à num. 18. Hurtado diſput. 15. ſect. 1. Valencia diſput. 1. q. 2. punct. 1. F. Joannes à ſancto Thoma diſp. 4. art. 1. Prudentius tract. 3. diſp. 1. dub. 5. ſect. 1. Wigers queſt. 1. art. 1. num. 2. Gamach. tom. 3. queſt. 2. cap. 1. Lorca diſp. 12. à num. 4. Adam Tannerus diſp. 1. queſt. 3. dub. 2. Coſninch. diſput. 7. ſect. 1. Martinon. diſp. 5. ſect. 3. num. 28. Meracius diſp. 10. ſect. 1. Dionyſius Petavius latiffimè lib. 1. de Incarnat. cap. 14. & iterum tom. 2. de incarnat. lib. 10. cap. 1.*

## CAPUT VIII.

Ex Concilio<sup>a</sup> Lateran.

Sicut ait Beatus<sup>b</sup> Leo, licet eccleſiaſtica diſciplina ſacerdotali contenta iudicio, ſeruentas effugiat ultiones, Catholicorum tamen Principum conſtitutionibus adjuvatur, ut ſape quarant homines ſalutare remedium, dum corporale ſuper ſe metuunt ſupplicium evenire. Ea propter, quia in Gaſconia,<sup>d</sup> Allegreſio, & partibus Tolofanis, & aliis locis ita hæreticorum, quos alii<sup>e</sup> Catharos, alii<sup>f</sup> Patrinos, alii<sup>g</sup> Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam non in occulto, ſicut aliqui nequitiam ſuam exerceant, ſed ſuum errorem publice manifeſtent, & ad ſuum conſenſum ſimplices attrahant, & infirmos: eos, & defenſores eorum, & receptatores anathemati decernimus ſubjacere, & ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra ſua tenere, vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint, non ſub noſtrorum<sup>g</sup> privilegiorum cuiſlibet indultorum obtentu, nec ſub alia quacunque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Chriſtianos recipiant ſepulturam.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **L**ateranenſi. ) Generali videlicet ſub Alexandro III. celebrato, ubi cap. 27. reperitur textus hic, & in prima collectiõne, ſub hoc tit. c. 6. pro ut in præſenti traſcribitur. De hoc Concilio nonnulla adduxi in cap. nonnulli 27. de reſcript.
2. <sup>b</sup> **L**eo, Epifc. 93. ibi: Merito PP. noſtri, ſub quorum temporibus hæſis nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egere, ut impius furor ab univerſa Eccleſia pelleretur, quando etiam Principes mundi ita hanc ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt, ut auctorem ejus, ac pleroſque diſcipulos legum publicarum enſe proſternerent: videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem conjugiorum copulam ſolvi, ſimulque divinum juſ, humanumque ſubverti, ſi hujusmodi hominibus uſquam vivere cum tali profeſſione licuiſſet, & profecit dum iſta diſtinctio Eccleſiaſtica lenita.
- D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V,

ti, quæ ſacerdotali contenta iudicio, cruentas reſugit ultiones: ſeveris tamè Chriſtianorû Principû conſtitutionibus adjuvatur, dū ad ſpirituale nonnunquã recurrunt remediũ, quitimuerunt corporale ſupplicium. Facit idem Pontifex reſatus à Gratiano in cap. res humanae 23. q. 5. Illuſtrat Chokier lib. 1. theſauri polit. c. 5. c. Gaſconia. ) Gaſconia proprie dicta, vulgò Gaſcunna, terminatur à Garunna fluviõ, & Oceano, complectebaturque Epifcopatus Vaſatenſem A quenſem, Audurenſem, & Lactorenſem: de quã provincia, & Comitibus Gaſconia videndus eſt Arnaldus Ojenarth. in notit. Vaſcon. lib. 2. cap. 8.

<sup>d</sup> Allegreſio. ) Forſan legendum eſſe quis dixerit Agineſio. Agineſium enim provincia eſt in Gaſconia: fines habet ad Orientem Cadurcos, ad Septentrionem Pertocorios, ad Occidentè Guennam, ad Meridiem Armaniacos. Complectitur duas diceceſes, Aginenſem & Condonenſem. Sed

Q legem.



legendum est *Albigensio*; hæresis enim *Albigensiu* in *Albigio*, seu *Albigensio* exorta fuit : ejus meminere *Sanderus lib. 7. de visibili Mon.* *Binius in notis ad Concil. Lateran. sub Innocent. III.* *Antoninus p. 3. hist. tit. 14. cap. 3.* *Vincent. lib. 30. specul. histor. Temporibus Frederici secundi Imperatoris, & Innocentii Papæ III. anno Domini 1216. ac primum in Comitatu Tolosano pullulare cepit, tantumque invaluit, ut brevi intervallo eâ infectæ essent mille civitates : ita ab *Albiga* civitate *Aquitaniæ*; quam incolebant, *Albigenses* dicti fuerunt. *Spondanus anno 1198. n. 34.* Hujus etiam hæresis in *Tolosanis* partibus orta, & in *Gosconiam* propagata, mentio extat in *c. 10. hoc tit. in 1. collect.**

5. e *Catharos.* ) Eisdem esse *Gazaros* ac *Catharos* docuit *Gothofredus in authent. Gazaros, C. hoc tit. & rectè*, nam in ipsa *Frederici* constitutione, quam integram edidit *Cironius* in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 1. legitur pro *Gazaros Catharos*. *Cathari* fuerunt hæretici *Novatiani*, qui se *Catharos* appellare ausi sunt, id est puros, & mundos ab omni labe. *Eusebius l. 6. histor. c. 35.* *Epiphanius hæres. 59.* Eorum mentio fit in *cap. si cui 2. l. 1. q. 3. apud Basil. epist. 1. ad Amphilocho. l. 1. ibi : Cathari sunt ex his, qui sunt absissi.* *Theophil. Episc. Alex. in exposit. ad Catharos, ibi : Declaravit mihi tua pietas, quod quidam eorum, qui te Catharos nominant, volunt ad Ecclesiam accedere.* *Refert Ant. Augusti in epist. juris lib. 11. tit. 24.* Et quia hi hæretici fuscitarant errores *Novatianorum*, qui & *Cathari* dicebantur, nomen etiam renoverunt. *Spondanus anno 1198. n. 27. de eis agitur in authent. Gazaros, C. hoc tit.*

6. f *Parrinos.* ) Rectè legitur in margine *Patarenos*. *Patareni* enim ita dicti fuere, quod in *Patera* urbe *Liciæ* originem habuerunt. *Manichæorum* sectam colebant, duo rerum principia ponentes, alterum bonorum, alterum malorum; nec *Romanum* Pontificem œcumenicum agnoscebant, nec *Christum* Patri homouision, id est consubstantialiæ putabant, de quibus agunt *Raphaël Volaterranus lib. 8. Geograph. Pancirola lib. 2. var. cap. 278.* *Spondan. anno 1198. n. 28.*

7. g *Privilegorum.* ) Nam hospitalaris, & similibus fratribus concessum fuerat quod salvâ canonica portione *Ecclesiæ* parochiali debitâ, possint indistinctè recipere defunctos ad sepulturam, cap. in nostra, c. certificari, de sepultur. ubi probavi, & ita in præsentî docetur, nec virtute similitum privilegiorum posse hospitalarios, vel similes defunctorum hæreticorum corpora ad sepulturam recipere.

COMMENTARIUM

8. Conclufio traditur & probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Hæretici, & eorum fautores, seu receptatores, excommunicantur, & ita decedentes sepultura ecclesiastica privantur.* Probat textus in *c. Accacius 24. q. 1. c. Ecclesiam 27. cum sequent. de conse. dist. 1. c. ad abolendâ, c. Excommunicamus 13. & 15. hoc tit. c. noverit de sent. excom. c. quicumq; hoc tit. lib. 6.* Inde varias excommunicationes prolatas legitimis in diversis Conciliis: contra *Arrianos* in Synodo *Nicana*, in fine: contra *Eunomianos* in Synodo *Constantinop. c. 1.* contra *Nestorianos* in Synodo *Ephesina can. 1.* contra *Eutychianos* in Synodo *Chalced.* contra *Monothelitas* in sexta Synodo *Constantinop.* contra *Pelagianos, Manichæos, & alios* in canonibus concessis ab *Antonio Aug. in epist. lib. 11. tit. 24. 5. 2. & 5. 3. & lib. 37. tit. 9.* Illustrant ultra congestos in præsentî à *Barbosa, &*

scribentes in *Bullam Cœnæ Domini*, *Thom. Sanch. lib. 2. summo, c. 9.* *Gibalin. in synopsi censurarum, verbo hæresis, Castro Palao tom. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 4. punct. 1.* *Suarcz. de fide disp. 21. sect. 1. n. 4.* *Bordonus in tribun. fidei, c. 12.* *Fagundes. tom. 1. in præcept. Decal. l. 1. in primum præceptu c. 12. usq; ad 16.* *Carena de offic. Inquisit. c. 2. tit. 1. §. 11. n. 95.* *Alberghinus in manuali Qualificator. c. 6. per totum.* *Eymericus in direct. Inquisit. p. 3. q. 123. ubi Penna Decian. l. 1. tract. crim. c. 41.* *Cantera qq. Crim. de heretic. c. 1. n. 7.* *Ricciulus l. 5. de jure person. c. 13.* *Sanderus de visibili Monarch. l. 8. c. 32.* *Canus de locis Theol. l. 4. c. 2.* *Spondanus de cœmeteriis l. 4. c. 2. p. 1.* *Scortia in select. epist. 8. theoremat. 4.* *Petrus Herodius l. 1. Pandect. tit. 6. cap. 9.* *Salles rom. 3. de mater. tribun. fidei, l. 6. c. 2.* *Thom Delbene p. 1. de offic. inquisit. dubit. 69.* *Murga tom. 2. disquisit. 1. dub. 12. cum sequent.*

Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione ita infurgo. *Hæretici non sunt in Ecclesiæ gremio, cap. non in vobis, ibi : Nobiscum autem estis in Baptismo, in Symbolo, in cæteris Dominicis Sacramentis : in spiritu autem unitatis, in vinculo pacis, in ipsa deniq; Ecclesiâ Catholica nobiscum non estis.* Et cap. si quis inquit, l. 1. q. 1. cap. hereticos 2. q. 1. c. advocavit, 24. q. 1. c. ipsa pietas, 23. q. 4. cap. statutu, hoc tit. in 6. Nam ad Ecclesiam nemo pertinet, nisi per baptismum, & fidem, cap. firmiter, de summa Trinit. c. final. de presbyter. non bapt. Sed hæreticus non habet fidem ergo non pertinet ad Ecclesiam. Quam sententiam probant *Bellarminus lib. 3. de sacram. c. 4.* *Canus d. lib. 4. c. 2.* *Spondanus d. p. 1. c. 2.* *Sanderus d. lib. 8. c. 32.* Sed iudicium Ecclesiæ non cadit in his, qui sunt extra eam, cap. gaudemus, de divortis, c. multi circa mediu, 2. q. 1. Ergo hæretici non possunt ab Ecclesiâ excommunicari. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam excommunicatio dicit separationem ab Ecclesiâ, & illius communionem, cap. omnis Christianus, cum sequent. l. 1. q. 3. cap. 2. de except. ibi : *Exclusus, & remorus, à qua hæretici omnes separati sunt, propter ipsam hæresin, c. quidam, ibi : ab ea recesserunt, cap. inter hæresim 24. q. 3.* Ergo excommunicatio caret effectu, cum hæretici per eam amplius ab Ecclesiâ separari nequeant. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex eo, nam nam ad infligendam excommunicationem monitio desideratur, cap. sacris, ubi dicemus, de sent. excom. ab specie docet *D. Paulus epist. 3. ad Titum, ibi : Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem devira.* Igitur non præmissâ trinâ monitione hæretici, seu eorum defensores, seu receptatores non manent excommunicatione legati. Deinde in secundam partem præsentis assertionis, dum in ea docetur, hæreticos sepultura ecclesiastica privari, sic argumentor. Quilibet est sepeliendus in sepulchris majorum, cap. 1. ubi probavi, de sepultur. ergo si hæretici habent sepulchra propria, & familiaria, prohiberi non debent in eis sepeliri. Facit textus disertus in *l. 9. c. de heret. ibi : Humanum, & pium hoc arbitratu, hæreticos permittimus sepeliri legitimis sepulchris.*

Quâ dubitandi ratione non obstant, vera est præsentis assertio, pro cuius expositione scire oportet, omnem prorsus communionem cum hæreticis ab Ecclesiâ Patribus prohibitam esse, can. 63. *Apost. D. Clemens l. 2. constit. c. 11. 13. 15. & 25.* *Fabianus Papa ep. 1. columna 2. Synodo Laodic. can. 9. 32. & 33. ibi : Non oportet cū hæreticis, vel schismaticis orare.* *Carthag. 4. can. 70. 71. & 72.* *Afric. 1. sub Cælestino, can. 50.* *Brachar. 1. can. 15.* *Epau, can. 15.* *Later. sub Alexâdro III. c. 27.* *Lateran.*

9. Inauguratur tractatus in præsentem

Tractatus in præsentem

10. De communicatione cum hæreticis prohibita



Lateran. sub Innoc. III. can. 3. & sub Leone X. *sess. 9.* Plura Pontificum decreta, & Sanctorum Patrum placita congregavit Ant. Augustin. in *epit. juris Pontif. lib. 1. tit. 16. per totum.* Basil. *de matrim. in appendice. cap. 2. num. 4.* Spondanus *de cameteriis lib. 4. part. 1. cap. 3.* & probavi in can. 22. *Concilii libber.* adeoque communicatio cum hæreticis fidelibus prohibetur; ut cum eis assiduam communicationem retinens suspectus de hæresi reddatur, ut probat Eymericus in *Direct. Inquisit. part. 2. fol. 234.* Simanchas *de Catholicis tit. 11.* immò & clerici cum hæreticis communicantes ab officio, & beneficio suspenduntur, & si purgationem canonicam illis indictam præstare renuerint, aut in ea defecerint, pro convictis habentur, *cap. inter de purgat. canonic.* Unde in Concil. Salisburg. relato ab Eymérico *dit. 2. part. comment. 82.* diligenter ita cautum fuit: *Eos quoque observare debent parochi, qui ex hæreticorum locis, sive de hæresi suspecti veniunt, singulorumque dicta, & facta animadvertant, ac de eorum vite consuetudine, & ratione cognoscant.* Quare cum eis negotiari prohibetur, *cap. sicut Leo, hoc titul. eosque adire seu visitare, cap. accusatus, s. ille quoque, hoc titul. in 6.*

11. Unde apparet vera ratio præsentis assertionis; nam cum ex præcepto Apostolorum relato in *dict. can. 63.* Apostolor. & firmato tot Ecclesiæ canonicis, prohibita sit communicatio Catholicis cum hæreticis, iuste in præsentem docetur, hæreticos excommunicatos esse, id est ab omni Ecclesiæ, & fidelium communione seclusos; quam excommunicationem in hæreticos latam, antiquissimam esse omnium excommunicationum, quæ jure canonico sunt statuta, innuitur à Gelasio I. in *Acacius 1. & 3. 2. 4. quest. 1.* dum ait in Acacium, eo quod non esset inventor novi erroris, sed veteris imitator, non esse novam sententiam ferendam; sed antiquam tantummodo renovandam. Siquidem ex quo tempore coeperunt Concilia in Ecclesiæ celebrari ad extirpandas hæreses, æquè introductionem esse consuetudinem excommunicandi; & anathematizandi hæreticos, videre est in canonicis supra citatis pro illustratione conclusionis: immò & excommunicationem hanc à jure divino provenire, voluerunt, etsi minus rectè, Aguius in *Enchiridio Driedo lib. 2. de libert. eccles. c. 8.* Quis tamen possit attentis novis constitutionibus ab hac excommunicatione absolvere, latè explicat Bordonus Castro palat. & Ricciulus *suprà, Aravio in qq. moral. lib. 9. q. 12. per totam.* Inde etiam provenit ratio, quare ipsi hæreticis denegatur ecclesiastica sepultura; nam cum communicare non possimus defunctis, quibus non communicamus vivos, *cap. sacris, ubi probavi, de sepultur.* non potest hæreticus post mortem ad communionem per sepulturam ecclesiasticam admitti, cum illi superstiti denegaretur communicatio cum fidelibus Catholicis, ut probat Spondanus *de cameteriis lib. 4. p. 1. c. 2. per totum.* Sed etsi hæc poena consequens esset excommunicationi ab hæreticis cõtracta, tamen eam specialiter statuerunt Alexand. III. in præsentem. Alexand. IV. in *cap. quicumque hoc titul. in 6.* Gregorius IX. in *constit. 4.* relata ab Eymérico *ad calcem direct. Inquisit. fol. 3. & 17.* Alfonso in *l. 8. tit. 13. part. 1.* Probant Rojas *de hæretic. singul. 181.* Menoch. *de arbit. casu 374. num. 8.* Farinac. *de hæres. quest. 1. & 2. s. 3. num. 98.* & rectè, nam ipsi sunt rei læsæ Majestatis, ut probat Spondanus *de cameteriis lib. 4. p. 1. c. 1. per tot.* & dicemus infra in *cap. vergentis;* sed reis læsæ D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V,*

majestatis denegabatur sepultura, tam apud Athenienses, ut ex Xenophonte, & Thucidide probat Tiraquel. *ad Alexandrum lib. 6. diem. Gemal. c. 14.* quam apud Romanos, teste Suetonio in *Vespas. c. 2.* Igitur rectè hæreticis ob criminis immunitatem denegatur ecclesiastica sepultura. nec hodie hæreticis tantum sepultura non conceditur, verum ossa eorum exhumentur, si discerni possint à Catholicis, & comburuntur memoriâ ipsius hæretici damnatâ, ut factum fuit in Concilio Constantiensi cum Joanne Vviclef, ut liquet ex ipso Concilio, *sess. 8.* & referunt proxima hæc approbantes Penna *ad Eymericum, 3. part. direct. comment. 92.* Simanc. *de Catholicis tit. 17. num. 20.* Paramus *de origin. Inquisit. lib. 3. quest. 4. num. 88.* Carena *de officio Inquisit. 2. part. ut. 19. num. 12.* Martha *de jurisd. part. 1. casu 19. n. 3.* Marquez in *gubern. Christi lib. 1. c. 24.* Gomez *lib. 3. variar. c. 1. n. 79.* & variis exemplis similem hæreticorum exhumationem probant Ant. Sabellicus *lib. 8. Æneid. c. 18.* Nicephorus Calixtus *lib. 27. histor. eccles. c. 17.* Beyerlinck in *theatro vite humana, verbo Cadaver, fol. 19.* Torrelblanca *de jure spirit. lib. 13. c. 13. n. 16.* Decianus *lib. 5. tract. crimin. cap. 57. n. 5.* Farinac. *de hæresi quest. 197. n. 94.* Paramus *de orig. Inquisit. lib. 2. cap. 5. tit. 3.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nã contrarium, videlicet hæreticos adhuc esse in Ecclesiâ, probat Alfonso à Castro *lib. 2. de justa hæretic. punit. ex eo, quia hæretici retinent characterem baptismi, cap. quod quidem 1. quest. 1. c. non in vobis, de consec. dist. 4.* & ita adhuc videntur membra Christi, & Ecclesiæ. Quare pro hujus difficultatis solutione dicendum est, hæreticos verè in Ecclesiâ non esse, juxta tradita supra pro dubitandi ratione; ad eam tamen jurisdictionis ratione pertinere, & ideo licet hæretici careant profus omnibus illis, quæ communionis gratia conceduntur existentibus in Ecclesiâ, possunt tamen competere, & puniri ratione fidei, quam susceperunt, & servare promiserunt in baptismo, ut sequenti textu dicemus, ut etiam contingit in deserto re militiæ terrestri, quem dux exercitus compellit ad redeundum ratione sacramenti præstiti cum militiæ nomen dedit, *l. disertorem, ff. de remilit. & in monacho deferente monasterium, qui ab Abbate repeti potest.* Sic similiter Christianus in hæresim lapsus subest Ecclesiæ ratione baptismi suscepti, licet in ejus gremio, & fidelium communione non persistat. Docuit Ricciulus *lib. 5. de jure person. cap. 12.* Nec obstat primum augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum ex D. Paulo & ex *dicto c. sacris* Nam verum est, quoscunque hæreticos externos ipso jure excommunicatos esse, ex præsentem textu, & aliis adductis pro ejus confirmatione. Quæ anathematizatio repetitur singulis annis à Romano Pontifice in Bulla, quæ Romæ legitur feria 5. cœnæ Domini, ut habetur in capite eiusdem Bullæ. Et licet juxta D. Pauli ipsius tempore saltè consideraretur monitio, quia tunc primû hæreses oriri coeperant, nec adhuc erant per Ecclesiam damnatæ, nec hæreticorum pertinacia ante monitionem satis nota fuerat; tamen postquam hæreses damnatæ ab Ecclesiâ reperiuntur in eas incidentes subversos se manifestè ostendunt; & ita ipso facto excommunicationem incurunt. Nec obstat textus in *dict. cap. sacris;* nam procedit in excommunicatione ab homine ferenda, quæ præviam monitionem requirit; non verò in illa, quæ fertur à jure, quia jus ipsum, quo statuitur, quoscun-

12. Dissol-  
vitur  
ratio du-  
bitandi.



quoscunque hæreticos esse excommunicatos, instar prævia monitionis est. Nec obstat secundum augmentum ipsius difficultatis; nã et si hæreticus per hæresim segregatus ac exclusus ab Ecclesiæ gremio sit, tamen per excommunicationem fortius, & magis separatur, si quidem privatur communione externa fidelium, ut docuit D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 9. Hodie autem etiam post extravagantem *Ad evitanda*, Martini V. ut hæretici vitentur sufficit quod hæretici declarati sint absque denunciatione censura, quia secundum jus, & communem fidelium existimationem, eo ipso quod aliquis hæreticus est, habetur etiam ipso facto præcisus, & excommunicatus, quia notissimū est, excommunicationem juris non separari ab hæresi. Nec obstat secunda difficultas; nam cum filii in sepulchris parentum tantum usum ex beneficio ecclesiæ, non verò dominium aut possessionem habeant, l. si sepulchrum, Cod. de religiosis, l.

*offa, ff. cod. & talis usus consistat tantum in mortui illatione, ex Ecclesiæ concessione, non possunt, qui per hæresim extra Ecclesiam sunt, ratione ipsius usus sepeliri in sepulchris majorum, cum ipsa gratia, seu privilegio Ecclesiæ reddantur indigni, l. 1. Cod. Theodos. & Justin. de hæreticis, ibi: Privilegia, quæ contemplatione religionis indulta sunt. Catholice tantum legis observatoribus prodesse oportere; hæreticos autem, atque schismaticos, ab his privilegiis alienos esse debere. Iustinianus in novel. 109. cap. 1. ibi: Nec justum esse æqualibus cum orthodoxis hæreticos dignos fieri privilegiis. Quare cum hoc jus sepulture totum ex auctoritate Ecclesiæ proveniat, potest Ecclesia ob crimen hæresis hæreticos privare usu sepulchri familiaris, seu hæreditarii, non obstante dicta lege 9. Cod. hoc titul. ut probat Spondanus de cæmeteriis, supr. a.*

## CAPVT IX.

Lucius <sup>a</sup> tertius.

**A**D abolendam diversarum hæresum pravitatem, quæ in plerisque mundi partibus modernis cœpit temporibus pullulare, vigor debet Ecclesiasticus excitari, cui nimirum Imperialis fortitudinis suffragante potentiâ, & hæreticorum pravitas in ipsi falsitatis suæ conatibus elidatur, & catholice simplicitas veritatis in Ecclesia sancta resplendens, eam ubique demonstret ab omni execratione falsorum dogmatum expiatam. Ideoque charissimi filii nostri Federici Illustris Romanorum Imperatoris semper Augusti <sup>b</sup> præsentia pariter, & vigore suffulti, de communi consilio fratrum nostrorum, nec non aliorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, multorumque Principum, qui de diversis partibus Imperii convenerunt contra ipsos hæreticos, quibus diversa capitula diversarum indidit professio falsitatum, præsentis decreti generali sanctione confurgimus, & omnem hæresim, quocunque nomine conferatur, per hujus constitutionis seriem, auctoritate Apostolica condemnamus. In primis <sup>c</sup> Catharos, & Paterinos, & eos, qui se Humiliatos vel <sup>d</sup> Pauperes de Lugduno falso nomine mentiuntur: Passaginos, & Iophepinos <sup>e</sup> Arnaldistas perpetuò decernimus anathemati subjacere. Et quoniam nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus, juxta quod ait <sup>f</sup> Apostolus, denegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi, cum idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur: omnes, qui vel prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel ab Episcopo loci susceptam, publicè, vel privatè <sup>g</sup> prædicare præsumperint; & universos, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini Jesu Christi, vel de baptisate, seu peccatorum remissione, aut de matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacro sancta Romana Ecclesia prædicat, & observat; & generaliter quoscunque eadem Romana Ecclesia vel singuli Episcopi per diocesese suas cum consilio clericorum; vel clerici Episcopi sede <sup>h</sup> vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum Episcoporum hæreticos judicaverint, pari vinculo perpetui anathematis innodamus. Receptatores, & <sup>i</sup> defensores eorū, cunctosq; pariter, qui prædictis hæreticis ad fovendā in eis hæresis pravitatē, patrocinium præstiterint aliquid, vel favorem, sive consolati, sive credentes, sive perfecti, seu quibuscunq; superstitionis nominibus nuncupentur, simili decernimus subjacere sententiæ. Quia verò peccatis exigentibus quandoq; contingit, ut ecclesiastica severitas disciplinæ ab iis, qui virtutē ejus non intelligunt condemnentur: præsentis nihilominus ordinatione sancimus, ut qui manifestè fuerint in supradictis erroribus deprehensi, si clericus est, vel cui jus liber religionis obūbratione fucatus, totius ecclesiastici ordinis prærogativā nudetur, & sic omni pariter officio, & beneficio ecclesiastico spoliatus, sæcularis relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debitā puniendus, nisi <sup>j</sup> continuo post deprehensionem erroris ad fidei catholice unitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis publicè consenserint <sup>k</sup> abjurare, &